

xisset, Julius Neque se quidquam credidisse iis, qui male-
dictis rempublicam insectati essent, respondit, neque in po-
sterum crediturum: scire, se amari a Veneta civitate,
ejusque rei permulta habere indicia: & ipsum contra amore
summo erga illam affici: gaudere etiam, cum quis se ob id
non Ligurem, sed Venetum appellet: quod quidem jam fie-
ret ab iis, qui tantam ipsius & reipublicæ conjunctionem,
& inter ipsos benivolentiam moleste admodum ferunt. Sed
quod ad Cæsaris regnum ditionemque attinet, cupere se, ut
quæ in Romanæ reipublicæ imperio ante illum erant oppida,
eidem reipublicæ restituantur. Hoc sermone habito ab se
legatum dimisit. Inter hæc Pandulphus ad urbem venit:
qui cum vereretur se se Ariminum propter civium inten-
sam in se voluntatem obtinere diutius non posse, ad id,
quod per Guidum Ubaldum paulo ante Senatui proposu-
erat, rediit, atque Ariminum reipublicæ certis conditio-
nibus tradidit. Itaque Dominicum Maripetrum legatum
qui oppidum, & Vincentium Valerium qui arcem recipe-
ret, Patres Ariminum miserunt. Pandulpho posterisque
ejus Cittadella oppidum in Patavinorum finibus, & paulo
post civitas cum jure comitiorum ipsi & Carolo fratri ejus
data. Pandulphus etiam in reipublicæ militiam receptus,
eique præfectura equitum attributa; uxori & fratri Carolo
quinque auri libræ annuæ utrique constitutæ: alteri ex li-
beris duobus sacerdotia liberiora promissa, quot petierat.
ipsi datæ dono in præsentia auri libræ centum. Ea de re
per Antonium legatum Senatus Julium certiores facit:
qui in eo perseverat, ut velle se ostendat, quæ fuerint Ro-
manæ reipublicæ oppida, ei restitui: itaque petere a Sena-
tu, ut auxilio suo atque opibus ad ea recuperanda se se
juvet. Miserat ante illos dies Senatus alterum Faventiam
legatum Nicolaum Fuscarenum, ad oppidi oppugnatio-
nem majore studio & celeritate procurandam, lente adhuc
administratam existimans. Jusserat etiam, ut Nicolaus co-
piarum reipublicæ præfectus cum iis Faventiam contende-
ret. Is statim viæ se dedit. Sed antequam Ravennam per-
veniret, muro tormentis percussus, legatisque proponenti-
bus